

mum fit incrementum, & supra & infra globum terræ. Inde luna magis magisque verius occalum recedens, inducit simul sensim aquarum decrementum. Ac sub Horizontem lapsa, novum producit aquarum incrementum, & summum quidem sub Meridiano inferiore constituta. Ulterius progreditur versus Ortum ita ut finis unius decrementi semper sit initium alterius incrementi & vice versa.

§. V.

Jam quemadmodum ex Astronomicis notum est, quod luna præter motum communem, etiam habeat alium quendam proprium, unde fit quod hodie haud præcisè eadem hora ac heri Meridianum loci cujusdam attingere queat, sed $\frac{4}{3}$ unius horæ tardius. Ita E. G. dum Amstelodami vel alibi locorum tempore Novilunii aut Plenilunii æstus maximus contigit hora tertia post meridiem, aut mediam noctem, sequenti die non nisi $\frac{4}{8}$ serius redit;

Tertio vero die $\frac{3}{6}$ post horam quartam & sic consequenter. Hisce fundamentis Calendariographi in regionibus & locis maritimis subnixi, accuratè, & sic etiam alius quivis ad locum quemvis, prænunciare possunt Incrementa ac decrementa isthæc, modo hoc unum evidenter ipsis constiterit, qua hora in Noviluniis & Pleniluniis Luna Meridianum contigerit.

§. VI.

Præter jam verò dicta etiam alia quædam, & menstrua lunæ periodus observanda venit, cum diurna hac in re optimè conspirans, quod sicuti illa bis in die notabilis est; ita etiam hæc bis in Mense Noviluniis nempe & Pleniluniis præcipuè cernitur: Adeò ut tum temporis incrementa & decrementa ista quam alias majora sint. Bis item in mense nempe in Quadraturis deprehenduntur notabiliter minora quam diebus intermediis. Adeò ut in quibusdam littoribus, ubi alias & reliquo mense nullus fit æstus sensibilis, luna tamen nova aut plena, tumor aliquis apparet; Sicuti in sinu Mexicano & propè Cubam ac Hispaniolam, nec non in aliquibus Maris Mediterranei oris &c. Sicuti Ricciolus annotavit *lib. 11. Almag. pag. 368. sub finem.*